

formis per se stantibus, et opposite respicientibus quam sub formalitate originis significatis.

Tertium est in articulo tertio, quod remotis relationibus non remanent supposita vel hypostases in divinis, sicut aliqui dixerunt, quod Pater per negationem originis ab alio constituebatur in esse hypostasis, ratio autem Patris quasi ad dignitatem pertinens constituebat Personam. Sed hoc est falsum, quia proprietates ipsæ, seu relationes sunt personalitates subsistentes, quia subsistunt in natura intellectuali; et sic conceptus hypostasis in tali natura jam est Persona.

Quartum est in articulo quarto, quomodo actus notionales præsupponant vel sequantur ad proprietates seu relationes personales. Et dicit quod actus isti seu origines significatæ passive prius intelliguntur, quam Personæ per illas procedentes, quia fundantur, et sequuntur ad illas. Origines autem significatæ active sunt priores relatione non personali, ut spirare est prius relatione spiratoris. Respectu autem relationis constituentis Personam (ut generatio respectu paternitatis) actus notionalis est prior exercitio relationis, est autem consecuta ad rationem relationis ut constitutam Personæ.

QUÆSTIO XLI.

DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD ACTUS NOTIONALES.

SUMMA LITTERÆ.

Comparisonem Personarum ad actus notionales sex articulis considerat D. Thomas. In primo supponit, et explicat quomodo actus notionales sint attribuendi Personis, videlicet quia distinctio Personarum attenditur secundum originem, et origo designatur per actus notionales, ut generatio, spiratio, nativitas, processio, etc. qui actus, seu origines non distinguuntur a relationibus seu Personis.

In secundo articulo ostendit actus notionales esse naturales, et necessarios, non voluntarios per modum liberi, ita quod voluntas, ut libere operans sit principium illorum: hoc enim processionis creaturarum proprium est. Unde etiam Spiritus sanctus procedit a voluntate ut natura.

In articulo tertio ostendit actus notionales non producere ex nihilo, sed ex ipsa divina substantia, quia producere ex nihilo est producere esse creatum, et sicut artifex producit ex materia externa, et illud quod producit, licet sit simile ideæ, non tamen naturæ suæ, ita Deus producit ex nihilo tamquam artifex, et id quod hoc modo procedit est creatura, quod autem procedit ut verus Filius non potest ex aliena substantia esse vel de nihilo, et idem est de Spiritu sancto qui est intra Deum verus Deus.

In articulo quarto ostendit dari in Deo potentiam ad istas processionem internas, scilicet ad generandum, et spirandum, quæ non designat nisi principium quo talium processionum. Hoc autem principium distinguitur

quidem, et est reale principium respectu termini præcedentis, non autem realiter distinguitur ab actu intelligendi vel volendi, quo fit processio.

In articulo quinto ostendit potentiam hanc notionalem, v. g. potentiam generativam in recto importare essentiam, quatenus dicit ipsam vim producendi, et id ratione cujus terminus procedit simile generanti, vel idem cum suo principio; connotat autem relationem, et oppositionem, quatenus requiritur ad distinctionem. Non tamen ratio est id quo generans generat, quia ratio non designat virtutem operandi, sed oppositionem.

In articulo sexto ostendit actus notionales non posse habere plures terminos, sed unum tantum, v. g. non posse habere plures Filios, nec plures Spiritus sanctos, id enim postulat infinitas et perfectio cujuslibet processionis, ut unica totum hauriat.

QUÆSTIO XLII.

DE ÆQUALITATE, ET SIMILITUDINE DIVINARUM PERSONARUM.

SUMMA LITTERÆ.

Comparat in hac quæstione D. Thomas Personas inter se præsertim quoad æqualitatem, et ordinem, atque existentiam unius in alia.

Igitur in primo articulo docet dari inter divinas Personas æqualitatem, quia non est majus, et minus, non quidem æqualitas quantitatis, sed perfectionis, et virtutis, quæ est essentia Dei. Non tamen hæc æqualitas, et similitudo est in Deo ratio realis distincta a relationibus Personarum.

In articulo secundo ostendit Personas esse æquales in æternitate, seu coæternas inter se, eo quod processio earum est a principio perfecto, et non impedito, et necessario seu naturaliter operante in his processionibus: ergo idem est in Deo esse, et producere Personas.

In articulo tertio ostendit, quod non obstante coæternitate personarum est in eis ordo originis, quia una Persona est ab alia, sed non est prioritas qua alter sit prior altero, sed qua unum est ex altero.

In articulo quarto ostendit Personas divinas esse æquales secundum magnitudinem, quia magnitudo in Deo non est quantitatis, sed perfectionis, et hæc eadem est in Patre, et Filio, quia non per incrementum crescit Filius ad æqualitatem Patris, sed nativitate ipsa totum quod in Patre est, accipit.

In articulo quinto ostendit quomodo una Persona sit in alia, scilicet triplici modo; primo, ratione essentiæ, quia essentia unius communicatur alteri, et est in illa. Secundo, ratione relationis, quia unum relativum est in suo correlativo ratione oppositionis, et tendentiæ. Tertio, ratione originis, quia procedunt Personæ per actus immanentes, de quorum ratione est quod terminus procedens maneat intra ipsum a quo procedit.

In articulo sexto ostendit Personas esse æquales in potentia, quia habent eandem naturam, et perfectionem: ergo eandem virtutem, et potentiam, quia hæc pertinet ad naturam.

DISPUTATIO XVI.

DE CONSTITUTIVO PERSONARUM, ET AC-
TIBUS NOTIONALIBUS.

ARTICULUS I.

*Quæ sit forma constituens Personas
in divinis ?*

I. Supponit hæc difficultas duo.

Primum, deberi in qualibet Persona divina assignari formam personalem constitutivam Personæ in esse personæ, quam vocamus proprietatem personalem, eo quod forma constituens Personam non potest esse communis aliis Personis, cum una Persona sit distincta ab alia, et opposita illi; atque adeo, in quantum Persona, debet per aliquid proprium constitui, quia idem est constitutivum, et distinctivum rei. Ut autem supra qu. xxxii, art. ii ostendit D. Thomas contra Præpositivum, qui negabat dari proprietates in divinis per modum formarum constituentium Personas, eo quod non distinguitur forma constituens a re constituta, oportet proprietates istas fateri, et per modum formarum eas significare, quibus Personæ ipsæ constituentur in esse personali secundum quod una Persona distinguitur ab alia. Et quidem dari tales proprietates Ecclesia fatetur, cum inquit (in præfatione Trinitatis): « Ut in Personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas. » Et in Concilio Lateranensi sub Innocentio iii: in cap. Firmiter, de summa Trinitate dicitur: « Hæc Sancta Trinitas secundum essentiam una, et secundum proprietates discreta. » Et in epistola Sophronii, quæ habetur in sexta Synodo generali, actione secunda,

dicitur, quod: « Sicut esse Deum unæque inconvertibiliter possidet, ita et proprietatem per quam ipsa Persona figuratur immutabilem, et immobilem obtinet, quæ eidem soli est insita, et ab aliis Personis eam discernit. » Et in Concilio Toletano ii, in confessione fidei dicitur: « Est tamen unicuique Personæ sua proprietas. » Quod vero istæ proprietates significantur ut formæ constituentium Personas, et non solum significantur in abstracto, sumendo abstractum pro concreto, ut dicebat Præpositivus, constat ex prædictis testimoniis, quia significantur proprietates ut existentes in Personis. Non minus autem requiritur distinctio ut unum dicatur esse in aliquo, quam ut dicatur, et confiteatur ut forma illius. Si ergo propter indistinctionem negatur proprietates significari debere ut formas Personarum, etiam deberet negari quod sunt in Personis, quod est aperte contradicere dictis Conciliis. Quare sine dubio fatendum est assignandas esse proprietates tamquam formas constituentes Personas in esse personali, non quidem constitutione importante compositionem: hæc enim supponit distinctionem extremorum componentium, sed constitutionem formæ rei simplicis nostro modo intelligendi concepta, sicut dicimus Deum constitui deitate, et constitui omnipotentem omnipotentia, et immensum immensitate, sic constituitur Persona proprietate, prout latius supra d. xiv, a. iii, expendimus.

II. Secundum quod supponimus est, hanc formam, seu proprietatem constitutivam Personæ in esse personæ non posse esse entitatem sub conceptu absoluto seu essentiali, neque sub aliquo conceptu, qui neque sit essentialis, neque notionalis, et multo minus quod non sit realiter constitutivus. Non potest esse

conceptus essentialis seu absolutus, ut refertur tenuisse Joannes de Ripis, eamque non improbabilem existimavit Scotus in 1, dist. xxvi, q. i, §. Tertia opinio. Sed omnino rejicienda est, quia id constituit Personas formaliter, quod discriminat et discernit illas ab invicem in esse personæ, quia quælibet Persona debet constitui ut distincta ab alia in eo quod proprium et peculiare est sibi, eo quod debet constitui in esse personæ in quantum incommunicabilis, quia incommunicabilitas est de ratione Personæ. Id autem quod essentialiter et absolutum est non discernit, nec distinguit, neque multiplicat Personas, quia essentialia omnibus sunt communia, sola autem relatio multiplicat Trinitatem, ut ex Boetio docent communiter theologi, idque etiam sumpserunt ex Anselmo, præsertim in libro de processione Spiritus sancti, ubi frequenter docet omnia in Deo esse unum, ubi non obviat relativa oppositio. Supponit ergo in essentialibus et extra notionalem oppositionem omnia esse non solum communia, sed unum. Et in Concilio Lateranensi, sub Innoc. iii, in c. Firmiter, dicitur: « Hæc Sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta: » ergo discretio et distinctio Personarum non per essentialia, quæ indivisa sunt et unum, sed per proprietates, quæ aliquid notionale sunt discreta, et multiplicata constituitur. Similiter in Concilio Toletano ii, in confessione fidei dicitur quod: « In relatione Personarum numerus cernitur. » Et infra: « Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt et in hoc numero carent, quod ad se sunt. » Omitto auctoritates ex Concilio Florentino, quia licet pluribus locis, præsertim sessione xviii et xix, dicatur solam rationem

multiplicare Personas, tamen ut sæpè monuimus, in illis sessionibus, nihil a Concilio definitum est, sed tantum disputatum, definitio vero in litteris unionis continetur.

III. Quod vero constitutivum Personarum non possit esse aliquid tertium quod neque essentialiter, neque notionale sit constat, quia talis ratio non est imaginabilis: omne enim quod est in Deo, aut est commune et unum in omnibus Personis, aut proprium et peculiare alicujus, et consequenter incommunicabile, nec in ista divisione est dare medium. Quidquid proprium et incommunicabile est, dicitur notionale, sive pertineat ad ipsas relationes sub conceptu formæ relativæ, sive sub conceptu, et formalitate originis, sive sub ratione cujuscumque alterius notionis. Quidquid communicabile est omnibus Personis, nec proprium alicujus, vel aliarum essentialiter est, nec potest specialiter constituere Personas, quia pertinet ad omnes communiter: ergo non potest fingi aliquid tertium, quod nec sit essentialiter, neque notionale pro constitutivo Personarum.

IV. Denique, quod constitutivum Personarum debeat esse aliquid reale et constitutionem realem facere, non rationis, ut male aliqui imponunt Cajetano, et Ferrariensi constat, quia aliud est proprietatem constituentem solum ratione distingui ab ipsis Personis: aliud est tantum ponere constitutionem rationis. Primum verum est, nec ab aliquo negari potest, cum proprietas Patris, scilicet paternitas non sit aliquid realiter distinctum ab ipsa Persona Patris, sed solum ratione. Secundum autem est falsum, quia res constituta realissima est scilicet Persona divina: ergo ejus constitutio non potest esse ficta,

neque a ratione tantum elaborata, sed in re inventa, semotis tamen imperfectionibus, et omni potentialitate, sed per suam simplicitatem cum ipso constituto.

PUNCTUS DIFFICULTATIS, ET EXPEDITIO EJUS QUOAD PERSONAS PROCEDENTES.

V. His suppositis punctus præsentis difficultatis est, ut relictis attributis, et perfectionibus essentialibus inter ea quæ notionalia sunt inquiramus, quodnam ex illis possit habere vim et rationem formæ constituentis Personam divinam in ratione personæ: requiritur enim ad constituendam Personam formaliter, quod sit principium, seu ratio qua reddatur Deus realiter subsistens incommunicabiliter, et individualiter secundum individuam, et propriam rationem unius Personæ, qua discernitur ab alia, et in sua peculiari ratione personali constituitur: sicut in rebus creatis modus subsistentiæ, qui per modum termini reddit naturam terminatam, et incommunicabilem, dicitur forma constitutiva suppositi, seu Personæ in ratione, et esse personæ, ut distinguitur a constitutivo naturæ, quia natura constituitur per formam essentialem, et quidditativam talis naturæ. Persona autem constituitur per terminationem, qua redditur natura terminata, et incommunicabilis alteri Personæ. Et hunc terminum, seu formam incommunicabilem intendimus designare, et quærimus illum inter ea quæ notionalia sunt, quia in essentialibus non reperitur, quia incommunicabilia non sunt.

VI. Inter ea autem quæ sub notionali comprehenduntur, et ad ordinem notionalem pertinent, tria inveniuntur ad quæ possunt omnia reduci. Primum est relatio. Secun-

dum origo. Tertium notio aliqua negativa, ut innascibilitas in Patre, et si quid aliud ad modum notionis negative explicari potest. Nomen autem personæ, et subsistentiæ et hypostasis, licet ad notionalia pertineant, tamen non numeramus illa modo inter notionalia, de quibus in præsentem agimus, quia ista se habent ut constituta. In præsentem autem inquirimus de forma constituente Personam seu hypostasim, et sub quo conceptu illam constituat. Igitur relatio in divinis accipitur per formam, qua redditur aliquid respiciens, et tendens ad terminum correlativum, ut paternitas, filiatio, spiratio, etc. Origine dicitur ipsa processio, seu actio qua producitur una Persona ab alia. Et licet non distinguatur a relatione realiter, differt tamen sub diverso conceptu formali, quia relatio tendit ad correlativum respiciendum, origo producendo, vel procedendo. Unde sequitur alia differentia, quod origo significatur ut via, vel actio: relatio ut res, seu forma per se stans, seu forma respiciens sive posita, et tenens se ex parte termini, sive ex parte principii. Et significatur origo dupliciter, tum active, tum passive. Active significatur ut productio, et tenet se ex parte agentis, seu originantis, sicut generatio in Patre, spiratio activa in Patre et Filio. Passive significatur, ut processio ab alio, sicut nativitas in Filio, seu esse genitum, spiratio passiva in Spiritu sancto.

VII. Præter relationem et originem inveniuntur aliæ notiones ut innascibilitas in Patre, quæ est notio negativa; inspirabilitas etiam in Filio et improductio, seu infœcunditas ad producendum in Spiritu sancto: quæ duæ non sunt propriæ notiones, ut supra late tractavimus disp. xiv. Pertinet etiam ad ordinem notionalium non solum actus

ipsi notionales, sed etiam potentiæ, ut potentia generativa et spirativa, quæ significantur ut principium quo actus ipsi notionales eliciuntur. Sed tamen istæ potentiæ in ipsa ratione originis involvuntur: origo enim active sumpta est productio ex parte principii agentis, ubi ipsa potentia productiva designatur, quæ est principium, quo producendi. Et cum in Deo non inveniatur potentia in actu primo, sed in actu secundo, idem est designare originem active pro productione ex parte agentis, ac designare potentiam productivam; et ita generatio active est potentia generativa, spiratio activa est virtus spirativa.

VIII. Igitur aliqui tenuerunt formam constitutivam Personarum esse originem, non relationem; quæ sententia communiter attribuitur D. Bonaventuræ in 1, dist. xlvi, q. ii, et Richardo de S. Victore lib. iv de Trinitate, c. xv. Cujus fundamentum est, tum quia patres communiter explicant constitutionem Personarum per origines, sicut inquit Augustinus lib. de fide ad Petrum, c. i. Quia igitur aliud est genuisse quam natum esse, aliudque procedere quam genuisse, vel natum esse, manifestum est quoniam alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus et S. Damascenus lib. i de fide, c. ii: « Pater, inquit, Filius, et Spiritus sanctus omnino sunt unum, excepta ingenti, generationis et processionis proprietate. » Tum etiam, quia origo est fundamentum relationis: fundantur enim relationes istæ divinæ in actione, et non in actione, ut pure absoluta et essentiali: nam intelligere et velle essentiali: etiam inveniuntur in Filio et Spiritu sancto, et tamen nec ille generat, neque iste spirat, sed solum fundantur in actione notionali, quæ est ipsamet origo: ergo ante relationem fundatam supponitur

origo: ergo et Persona: ergo relatio non potest constituere Personam, sed origo quæ est fundamentum ejus. Et alias non est minus subsistens origo, quam relatio si consideretur ut res, et in actu signato, si vero ut in exercitio producens, etiam relatio ut in exercitio respiciens non constituit Personam, sed supponit, in eaque fundatur: ergo non minus inter formas notionales constituere potest origo Personas quam relatio.

IX. Nihilominus oppositum aperte tenet D. Thomas in hac quæstione art. ii et iv, et in 1, dist. xxvi, q. ii, a. ii et q. viii de potentia, art. iii. Et eandem sequuntur communiter theologi in 1, dist. xxvi, et interpretes D. Thomæ in hac quæstione xl, art. ii, quos late referunt Carmelitanus cursus tract. vi de Trinitate, disp. xviii, dub. iii, n. xlv; Ruiz disp. lxxxvii, sect. v, n. xiv. Omitto eam sententiam, quam D. Thomas in articulo tertio hujus quæstionis xl refert, et refutat, scilicet quod origines constituent hypostases, relationes autem Personas, distinguendo inter hypostasim et personam, quod illa solum dicat suppositum, seu subsistentiam, persona addat dignitatem; et ad hanc dicebant relationem concurrere, v. g. paternitatem, quæ dignitatem quamdam significat: ad primam vero sufficere originem, v. g. generationem. Sed hoc omnino falsum est, quia idem est in natura intellectuali hypostasis, et persona, neque majorem dignitatem exigit persona, quam quod hypostasis seu subsistentia, si sit in natura intellectuali; hoc enim ipso Persona est.

X. Fundamentum ergo D. Thomæ citato loco hujus quæstionis, a. ii, est duplex. Primum, quia est contra rationem personæ constitui origine. Secundum, quia est contra rationem originis quod constituat